



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

V. Campegij Cardinalis in Angliam profecti, cum Rege congressus &  
colloquium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

inter Regem ipsorum & Imperatorem, qui tantam injuriam non sit in ultam passurus: sui autem officii esse ut qui sit communis Christianorum pater, providere, ne quid turbari in Christiano orbe exoritur. Nihilominus tamen, ut illius benevolentia, qua Regem ipsorum complecteretur, fidem ipsi faceret, efficeretque ne temere decisum fuisse hoc negotium merito alicui videatur, iterum se Regis causam alius Cardinalibus & Theologis cognoscendam commissurum.

IV. Novi hi judices, quamvis judicarent, Romæ hanc litem decidendam esse, tamen ob Regis, qui & libro edito fidem Catholicam defendisset, & armis summum Pontificem in libertatem alleruisset, in Ecclesiam merita, cupientes ipsi gratificari, statuerunt judices in Angliam dandos, qui litem dirimerent. Existimabant enim, ut ut caderet, non futuram rem adeo difficilem, quin remedium è vestigio adhiberi posset, Pontifice judicum acta rescindente, & causam ad se revocante.

Hæc autem posterior sententia valuit apud Clementem, partim gratiæ Henrici nimirum ut quidam suspicantur, dantem, partim nihil suspicatum, quod falsa essent illa omnia, quæ de Catharinæ vel assensu, vel monastica vita passim spargerentur. Dati sunt ergo judices. Laurentius Campegius, & Thomas Volsæus. Regina, cui unde quaque insidiæ struebantur (Nam velut umbra, sole nubibus obducto, evanescit: ita qui nihil aliud, quam felicitatis eorum, quibus suam operam addixerunt, splendorem sequuntur, adversitatum nebulis prioris prosperitatis lumen offuscantibus, nusquam comparent) de his, qui ad urbem mittebantur, Legatis certior facta non fuerat. Attamen simul ac tale quid suspectum habere coepit, petiit à Pontifice per literas, nisi se destructam, & causam suam justitiam oppressam vellet, ne quam legationem in Angliam de hoc divortio cognituram mitteret. Simulque à Carolo V. Imperatore summis precibus contendit, ne se afflictam desereret, cui vita mille mortibus sit molestior, cuique omnes iste inimicitia ob ipsius Cæsaris odium sustinendæ sint. Carolus, qui Pontificem dimittendo universum Cardinalium Collegium sibi demeruisset, Legatum summa diligentia Romam mittit, perque eum apud Pontificem quaritur, tam de nunciis à Rege Angliæ in Urbem inscisa Regina (de cujus tamen honore præcipue agebatur) clanculum missis, quam de iudicibus in ipsa Angliæ, ubi omnia ad nutum Regis agenda sint, datis non defuturum se materia sua, sed, nisi justitia causa sua obtineat, Angliam armis invadere paratum esse:

solam fornicationem harum turbarum originem esse, nec aliam ob causam Regem uxorem suam repudiare velle, quam ut perdisissima femina, quam perditæ depereat, fœdis amplexibus fruatur.

Pontifex quum intellexisset, suggestionem Regis Angliæ Legatorum falsam fuisse, quatuor nuncios celerissimo cursu, diversis itineribus ad Campegium misit, per literas ei mandans, primum ut in itinere quam tardissime progrediatur: deinde quum in Angliam venerit, omnem operam ad Regem cum Regina conciliandum interponat, in quo si non profecerit, Serenissima Regina Religionis ingressum persuadere conetur; denique ne ullam in causa divortii sententiam absque novo & expresso ipsius Pontificis mandato ferat. Hoc (inquit) summum maximum sit tibi mandatum. Aliis vero literis Viterbii datis, plane significat, si de sua tantum persona ageretur, se omnia pericula in Regis Henrici gratiam subiturum: sed nunc illius voluntati absque iniustitia & publico totius Ecclesiæ scandalo satisfieri non posse.

V. Campegius nonis Octobris Anno 1528. Londinum ingressus, statim à Volsæo ad Regis palatium deductus est: ubi Rex & duo Cardinales de suis rebus multum diuque colloquuti sunt. Diebus aliquot interpositis, Campegius Reginam hortatur, ut pacis causa tempori cedat, sequæ tot ærumnis, quibus quotidie angatur, eximat: longe & honestiorem & jucundiorē illi futuram vitam monasticam ea quam nunc agat, moriens, quamvis sit viva, quotidie. Respondet illa, se quidem ultro dudum huc propendere, sed quum videat id agi, ut vi ad Religionis ingressum compellatur, constitutum sibi esse, eo magis resistere, matrimoniumque suum, ad quod divinitus vocata sit, constantissime, quoad vivat, tueri; nec se iudices istos recipere, utpote sibi suspectos, & per mendacia à Pontifice extortos: Volsæum totius huius mali primum auctorem fuisse, propterea quod spe Pontificia dignitatis obtinenda excidisset, nec Carolum Imperatorem conatibus suis faventem esse expertus, vehementer offendit Volsæum (ut veritas plerumque odium parit) hoc responsum Regiæ, causæque ejus adhuc iniquiorem fecit. Verum est, quod dicitur, linguam in corde esse, non autem debere cor vicissim esse in lingua: & sæpenumero evenit, ut iis, qui ad optatos consiliorum suorum successos pervenire cupiunt, aliud sit expromendum lingua, aliud pectore clausum gerendum. Ariston dicebat, plurimum nocere eos ventos, quorum flatu denudamur. Regina, cui plurimum ea res incommodabat, tot incurren-

tium malorum impetu concussa quidem, sed nondum fracta, sola in Deum fiducia suffulciebatur, adversusque tor arietes honorem, ejus quatientes perstabat: & quamvis inimici ejus multas de ipsa victorias reportarent, virtus tamen ipsius & regia animi magnitudo adversus omnes fortunæ injurias invicta permanebat. Campegius intellecta & Regiæ sententia, & Regis pertinacia, & Volsæi ad obsecundandum Principis sui voluntati pronitate, Pontificem de omnibus edocet, rogatque, *ut primo quoque tempore, quid ei faciendum censeat, præscribat.* Pontifex quum humanis consiliis parum promoveri animadverteret, sperans Deum aliquando manum admoturum, rem procrastinabat, si forte tempus (quod non raro ad mundanorum negociorum eventus multum momenti affert) remedium aliquot ostenderet. Itaque ad sex integros menses, hoc est, à nonis Octobris, usque ad quintum Calendas Junii An. 1529. à causæ cognitione cessatum est.

Interea Rex, cujus moribus jam nihil erat corruptius, quum videret indignari populum tum ob adventum Campegii, tum quod unius meretriculæ causâ ingens malorum & bellorum pelagus sese per totum Regnum effusum iret, convocatis aulæ suæ primoribus, tanquam si nec conscientiam nec animam haberet, in publico conventu protestatur, *se non alicuius femina amore captum, sed solo conscientia scrupulo adductum tantopere urgere, ut an legitimum sit suum cum Catharina, fratris olim sui uxore conjugium, dijudicaret.* Sed falsa esse quæ diceret, nemo ignorabat. Paulo ante Theologi responderant, dummodo Julii Pontificis, qui leges Ecclesiasticas relaxarat, infirmaretur dispensatio, nullo negotio matrimonium dissolvi posse. Stephano igitur Gardinero, & Francisco Briano, qui Romæ agebant, mandatum est à Rege, peterent à Pontifice, primum, ut Julii Papæ, dispensationem pronunciaret legibus divinis & humanis contrariam, ipsoque jure nullam; deinde ut potestatem faceret, Mariæ Valliæ Principissæ Henrici & Catharinæ filia cum Henrico Richmondia Duce, ejusdem Henrici Regis filio notho, successionis Regiæ stabilendæ causâ, matrimonio conjungendi. Tanti faciebat Pontificis dispensationem, ut ea accedente, fratris cum sorore conjugium procurare non vereretur. Hoc autem Regem petiisse, ex ipsius Pontificis ad Campegium literis cernitur. Addidit Henricus, suarum rerum satagens, literas ad Pontificem, sua

manu scriptas consignatasque, quibus petebat, ut Pontifex ejus femina in uxorem accipiendæ, cujus sororem carnaliter cognovisset, gratiam sibi auctoritate Apostolica faceret. Erat Annæ Bole-næ soror Mariæ: hanc Henricus corruperat, quem admodum ipsa Maria, sorori suæ tantum honoris fastigium invidens, palam dictitabat. Hoc igitur Henricus volebat, ut post Mariæ, quin & matris Mariæ & ipsius Annæ, stupra, Annam Bole-nam in uxorem ducere sibi per Pontificem liceret. Quod ita esse, Polus Cardinalis affirmat eo opere, quod de unione Ecclesiastica scriptum reliquit: additque, Henricum ita demum hoc ultimum impetrasse, si ante constitisset, Julium Pontificem non habuisse jus, priore illa in causâ (hoc est in nuptiis cum fratris uxore) dispensandi. Legatis vero Regis Angliæ Pontifex respondit, se acturum cum Imperatore, ut authenticum illud Julii decretum, quod apud Cæsarem exstabat, aut in Urbem Romam, aut certe in Angliam transmitteretur. Instabant Legati, ut nisi intra duos menses proxime sequuturos decretum Julii exhiberetur, sua Sanctitas illud irritum ac nullum pronunciaret. De qua petitione quum Cardinales de Monte, & Quatuor Coronatorum, Episcopus Simoneta, & Theologi quidam ex mandato Pontificis cognovissent, visa est omnibus iniquissima, tam ob temporis præscripti brevitate, quam ob inusitatam edicti modum.

Pontifex, cui molesta res esset, per literas cum Legato suo Campegio expoſtulat, quod eiusmodi mandata Romam perferri passus sit, quæ in Angliâ præcidi oportuisset. In earum literarum extremo questus est, qui Papæ fuerat à Secretis, Joannes Baptista Sanga, Legatos Regis magnum malum Sedi Apostolicæ imatos, nisi Rex voti sui compos fieret. Ex quo constat, Regem eo animo fuisse ut potius Ecclesiæ, quæ Dei sponsa est, libellum repudii mittere velle, quam libidinibus suis valedicere. In tempestate marmor quoddam prius est fulgure, in tonitru flamma emicat ante fulminis ictum & ædificiorum ruinas crepitus quidam præ-nunciat. Ita hæc quoque calamitates ingentesque ruinæ non sine antecedente minarum fragore evenerunt. Legati Brianus & Gardinerus per literas Henrico significant, quibus adjunctis conditionibus Pontifex ea, quæ petierant, concesserit: nunciant præterea, inter Papam & Cæsarem recentem pacem factam esse, quæ omnia, quæ Borbonii milites eriperant, Ecclesiæ restituerentur. Metuens ergo

ergo Rex Angliæ, ne per hanc concordiam & Papa illi minus deberet, & Galliarum Rex filiis à Cæsare receptis, sua ope minus indigeret, atque ita undique desertus, effectum dare, quod animo agibat, non nisi difficulter posset: liti in Anglia decisionem omni ratione accelerare constituit, quamvis Campegio in iudicio assistere recufante, eo quod nec Julii decretum coram exhibitum esset, & ipse à Pontifice absque novis mandatis de causa illa ulterius cognoscere prohibitus fuisset. Hunc tamen minis, blanditiis, muneribus, importunitate eo adegit, ut tandem una cum Volsæo, Londini, quinto Calendas Junias, anno 1529. in cœnaculo fratrum ordinis D. Dominici, tribunal conscenderit. Mandatis igitur Clementis Papæ (sed non ejusdem revocatione) ante omnia recitatis, nominatim evocant, primum Regem Henricum, cujus vice procuratores aderant; deinde Reginam, quæ ipsa in medium prodiit. (O miseram! quæ propterea repudiata est, quod vir ejus turpissimos amores suos non nisi morte uxoris suæ stabilire, nec nisi ejus honore profanato, libidinibus suis pro voto obsequi posset.) Ingressa igitur in locum tam inauspicatum, iudices illos protestata suspectos esse, recipere aperte recufavit. Responsum est à Legatis, non profuturam Reginæ appellationem, nisi doceret, mandata ipsorum esse revocata. Et hoc quidem die nihil decisum est. Proximo, quo in iudicio confessum est, Regina iterum affuit, actum quidem, proposita solenni exceptione, ad Papam, omnia ulteriore litigatione, se provocare testata est, rationesque, cur id faceret, has expressit. *Primum, quod locus iudicii parum æquus videretur. Nam se in Hispaniis natam, ibi esse peregrinam: ideoque litem suam in Anglia, ubi Rex omnia possit, decidi non debere. Deinde, personas iudicum non solum Regi devotas, verum & subjectas esse, Volsæum ob Vinsoniensem & Eboracensem Episcopatus, Campegium, ob Sarisburiensem. Rex animadvertens, causæ suæ remoram injectam, nec sententiam repudiî à iudicibus ferri, quamvis hi appellationem Reginæ non reciperent, ipse in iudicio seipsum sistens, summa cum confidentia juratus affirmavit, non odio Regina, sed scrupulo conscientia se impulsus, ut, an matrimonium suum ratum esset, iudicio decidendum permitteret. Nam si vel odio aliquo, vel alicuius femina amore huc adductus fuisset, ut quidem vulgo crederetur, non se à Pontifice iudices petiturum, sed in ipsa Anglia soli Eboracensi Cardinali de latere litem hanc*

*decidendam permissurum fuisse. Nunc quum Cardinalibus hiæce ea potestas à Pontifice delegata sit, se illorum sententia penitus acquiesciturum. Regina quæ actioni intererat, quum animum Regis nec commiseratione emolliiri, nec ratione flecti videret, de loco suo surgens, Regem ad dextram sub conopæo confidentem adivit, genibusque ejus advoluta ab illo supplex precata est, ut quoniam ipsa peregrina esset, litem istam, de qua ejus honor dependeret, non pateretur in Anglia disceptari. ibi enim quod non justum æquumque esset, sed quod Rex vellet, actum iri. Se quidem coronam, quam tam diu gestasset, ad pedes Regis deponere, omnibusque que sunt in his terris sublimia, renunciare paratam: ipsam tamen renunciare, aut vinculum, quo tam sancte colligati essent, rumpere non posse. Aliud supplicium quaereret, quo summum tum erga ipsum amorem, tum obsequendi ipsi studium nunquam à se depositum, compensaret. Quæ quum dixisset, oculos suos erga Regem sustulit plenos lachrymis, quæ etiam durissima corda mitigare debuissent, sed Henrici animum dectere non potuerunt, in quem omnes Tiberiorum, Neronum, Domitianorum perditos mores confluisse diceres. Assurgens tamen, & sublatam benignissimis oculis intuitus, potestatem se illi facere dixit apud communem Christianorum patrem litem persequendi: populo interim, qui vultum ipsius, animi indicem, spectans, facile quid mente clausum gereret divinabat, minime sibi à lachrymis temperante, quod Reginam eo angustia redactam videret.*

VI. Regina accepto hoc responso, statim actis gratiis, ex loco iudicii discedit. Sed vix egressa nunciatur, ipsam à Rege & iudicibus revocari. Minime obscurum videbatur, quin Regem promissi pœniteret: id quod acerbissimi mœoris & summæ indignationis Reginæ causa fuit. Quæ, Parebo (inquit) marito meo, non item iis, quos iudices non agnosco. Jamque in iudicii locum reversura erat, quum id causæ suæ magnum præjudicium allaturum esse, à procuratoribus suis admonetur. Itaque hac proposita Regis nuncio excusatione, *Hodie, inquit, primum domino meo Regi non parui, sed quum proximè eum videro, hanc culpam deprecabor.* Henricus vero, promissi immemor, Legatos ad sententiâ ferendâ omnibus modis urgebat. Disputatur ergo, respondetur, replicatur, hinc Regis, illinc Reginæ procuratoribus causâ suâ propugnâtib. Nulla est tam injusta causâ, cui nō inveniatur patronus, & cujus deformitati non aliquis color detur.